



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XVIII. De solitudine & silentio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

tiam; charitatem ferventem, contra omnem acediam & negligentiam; magnam patientiam, contra omnem turbationem; sanctam meditationem, contra turpem imaginationem; continuam orationem, contra diaboli impugnationem; diligentem attentionem adlectionem, contra frequentem mentis evagationem; bonam occupationem, contra cordis tædium & somolentiam; devotam sacræ passionis tuæ recordationem, contra omnium vitiorum mortificationem. Adesto mihi in his bonis Deus meus, & confirma me in omnibus verbis sanctis tuis. Amen.

CAP. XVIII. De solitudine & silentio.

*Psal. 54.*

**E**cce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Quare? Propter multa bona inde provenientia, & ad cavendum distractiones cordis mei, in multis rebus visis & auditis; quia quæ oculus non videt, nec auris audit, cor non dolet, nec cito turbatur.

Igi-

Igitur latere, & tacere, bonum est pro pace cordis, & obtentu devotæ orationis.

Ad hoc juvant locus secretus, solitudo & recessus à turbis, ubi non est & silentiū strepitus. Sicut enim piscis extra magnam aquam cito moritur; ita monachus extra cellam leviter distractis & pietatis hitur & inquinatur. præsidia;

Nam prudens apis mel ex floribus colligens, statim inde evolat, & secretum gaudens repetit, & hoc in alveario caute abscondit, ut habeat unde in hieme latenter vivat.

Ideo enim suavitatem odoris abscondit, ne foris vagando fructum laboris sui iterum perdat.

Nam pretiosa aromata, in pyxide clausa fortius fragrant; aperta & ostensa, virtutem odoris citius amittunt.

Flores quoque manibus attacti læduntur; intra septa pomarii clausi servantur, & muris altis firmati tutantur.

Crescunt rosæ in hortis clausæ securæ; arescunt, et calcantur pedibus in viis projectæ.

Sic vagus et instabilis monachus

Offendit  
variis e-  
xemplis  
& simili-  
bus.

chus vilescit sæpè foris visus; fu-  
giens autem turbas, & manens  
intus, reputatur sanctus.

Candela ardens à vento cito  
extinguitur, in lucerna latens  
custoditur.

Sic fervor devotionis in se-  
cretario cubiculi tutius servatur,  
& in negotiis externis facilius  
dissipatur.

2. Igitur cellam & silentium  
dilige, si vis devotus & pacificus  
intus permanere,

Confor-  
tio ho-  
minum  
non ma-  
culari,  
rarum &  
difficile.

Oportet, quod valde fortis sit  
& custoditus, qui foris inter ho-  
mines ambulat, & interius non  
impeditur nocivis.

Maneas ergo libenter in soli-  
tudine, & in cella devotionis  
causa; sicut beata Virgo *Maria*  
mansit sola in cubiculo clausa,  
loquens cum sancto Angelo sibi  
misso à Deo de cælo; ut etiam ad-  
te veniat sanctus Angelus, Do-  
mini nuncius cælestis & custos  
animæ tuæ fidelis; & recedat à te  
longius spiritus malignus, cum  
omnibus phantasiis suis.

Notabi-  
les gne.

Dixit quidam devotus silentii  
amator: *Raro loquor diu homi-*  
*nis*

*ribus, sine aliqua lesione conscientia intus.*

Et alius quidam: *Oportet, ut sit valde edificabile verbum, quod emendet silentium.*

Et tertius ait: *Nobile est verbum, in suo tempore dictum.*

Et quartus adjecit: *Qui os suum firmiter claudit, non detrahit, nec mentitur.*

O quàm laudabile & jucundum loquentis verbum, nil mali, nil vani, nil doli, nil falsi habens admixtum!

Multi multa loquuntur, sed non sine periculo linguæ pronæ ad malum. Pax igitur multa custodienti os suum, & manenti in cella, & sæpè oranti.

Lauda quoque taciturnum virtuosum, increpa vagum verbosum, cave dolosum. Fuge tumultum, dilige secretum, sequere humilem & devotum; sustine patienter tibi molestum, propter Christum pro te crucifixum.

3. Frater interrogavit senem, Quod est statutum in ordine, pro pace & devotione maxime proficuum? Respondit notabile

Q95 ver

ma in  
commen-  
dationem  
silentii.

Tria re-  
ligioso  
necessa-  
ria,

verbum: *Servare à patribus si-  
lentium statutum, Vitare tur-  
multus hominum, & Otium.*

Hæc tria in ordine valde ne-  
cessaria, Deo & Angelis acce-  
pta; scilicet, laborare manu, con-  
tra otium; amare lectionis stu-  
dium, contra cordis tædium; &  
continuare orationis usum, con-  
tra diaboli dolum.

Hæc laudant sancti Patres an-  
tiqui & novi, quia frater tacens &  
Deo vacans, ab ipso cœlitus be-  
nedicitur, & ad contemplanda  
divina secreta aptior invenitur,  
& altius illustratur.

Vagus verò & fabulosus, qui  
otiose circuit, don s cœlestibus  
indignus efficitur, & aliis est mo-  
lestus.

Nescit superbus diu tacere,  
quã cupit doctus videri, & præ  
aliis laudari.

Qui præsumptuose loquitur,  
à multis vituperatur; qui autem  
verecunde tacuerit, gratiam ab  
adstantibus meretur.

Magna humilitas cordis, fen-  
tire de seipso vilia, & de aliis  
semper meliora.

Gran-

Grandis superbia, ebundare in sensu suo, & stare in propria voluntate, Deo & communitati fratrum contraria.

Abundare in suo sensu, lepra pessima religio foris.

Hæc est lepra pessima, quam odit Deus, & percutit sæpè subitanea morte.

Simplex & innocens, humiliter obediens, ubique lætus & securus

Laudabilis fama habere pauca verba, cavere levia, loqui utilia, & omnia agere cum modestia. *Omnibus adde modum, modestus est pulcherrima virtus.*

Cato.

Et hoc est, quod ait Christus: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Et Paulus Apostolus: *Omnis sermo vester sale conditus sit.* Et sanctus Job: *Quomodo potest comedi, quod non est sale conditum?*

Matt. 18.

Coloss. 4.

Iob. 6.

4. Castus & pudicus custodit cor suum, os suum, & omnes sensus suos, pronos semper in malum; ut non peccet, & Deum ac proximum offendat.

Non est corde compunctus, qui vana libenter audit, & recitat coram aliis.

Compunctio cordis, & curiositas

oris au-  
riumque  
male cō-  
veniunt.

Perdit cito compunctionis  
gratiam, qui non custodit cordis  
& oris januam.

Homo pronus ad loquendum,  
facile excedit loquendi mensu-  
ram.

Si haberes Jesum crucifixum  
in corde tuo fixum, non exiret ci-  
to de ore tuo verbum vanum &  
otiosum.

Sed quia non habes Jesum fir-  
miter in corde tuo clausum, ideo  
sæpè quæris solatium forinsecus,  
debile & frivolum, parum juvans  
intus à doloribus præmentibus  
cor tuum.

Frustra  
extra Je-  
sum quæ-  
ritur so-  
latium.

Solus enim Jesus præstat ve-  
rum animæ solatium, & sanat o-  
mnes languores vitiorum. In  
breui momento & unico verbo  
potest liberare dolentem ab om-  
ni malo: Nam amplior est gratia  
dei in bono, quam culpa in malo.

Cur audis vanos rumores se-  
culi, qui sæpè te conturbant &  
distrahunt in corde? Quare ne-  
gligis dulces sermones Christi,  
qui te consolari possunt, & con-  
fortare in omni tribulatione  
tua, die ac nocte?

CAP.